

Disputatio medica inauguralis de lue venerea ... / praeside ... Henrico Meibomio ... pro licentia ... subjicit Andreas Wilhelm Fischbeck ... Ad diem XXI. Septemb. M DC LXXXII.

Contributors

Meibom, Heinrich, 1638-1700.
Fischbeck, Andreas Wilhelm, active 1682.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii : Typis Georg-Wolfgangi Hammii, [1682]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nbf3erne>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

33

LUE VENEREA

QVAM

AUXILIANTE DEO

Consensu & Autoritate Amplissimi Medicorum

IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA ORDINIS

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO

Med. Doct. ejusdemque & Historiarum ac Poëseos

Professore Publ. & Ordin. Celeberrimo, Facultatis Me-

dicae h. t. Decano Spectabili, nec non Archiatro Guel-
phico felicissimo,

DOMINO, PATRONO, & PRÆCEPTORE SUO

omni observantia cultu submisse venerando.

PROLICENTIA

Summos in arte Medica honores, & privilegia

Doctoralia ritè consequendi.

IN MAGNO JULEO

horis ante & pomeridianis

Publico & solemnini examini subjicit

ANDREAS WILHELM FISCHBECK

Goslariensis.

AD DIEM XXI. SEPTEMB. M DC LXXXII.

HELMSTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.

DE LUE VENEREA

AUXILIUM IN

Consilio & Auctoritate

In Universitate

PAVIAE

MDCCCLXXII

AD PRAESIDIUM, AMPLISSIMO, NOSTRO, PRAESIDIUM, DOMINUM

Med. Doct. ejusdemque & Philosophiae ac Juris

Professore Publ. & Ord. in celeberrimo Instituto

DOMINUM PATRONUM & RECEPTORUM

PRAGMATICIS

Summas in arte & scientia honores & dignitates

ILLUSTRISSIMO

AD PRAESIDIUM, AMPLISSIMO, NOSTRO, PRAESIDIUM, DOMINUM

AD PRAESIDIUM, AMPLISSIMO, NOSTRO, PRAESIDIUM, DOMINUM



PRÆLOQVIUM.

Hæc est morbi, & non in aliis tantum Regionibus frequentis, sed apud nos quoque non raro occurrentis, morbi virulentia & contumacia me incitavit, ut cum præsertim alibi occasionem meliorem haberem, in naturam ejus omnem & curandi rationem inquirerem. Animum igitur nunc induxi meum, ea, quæ de illo annotavi, luci publicæ dare, & loco Inauguralis Dissertationis proponere. Detertere quidem primò me morbi foeditas potuisset, non omnibus lectu gratâ futurâ lectione, si qui præsertim sint delicatiores, & ad talia nauseabundi: verum ego hic medicus medica tracto, perpendens hæc sacra aliter non constare, & necessarium maximè medico esse, hujus morbi naturam, causas, & curationem omnem perfectè scire, cum præsertim in his regionibus nostrates sensim magis magisque, cum hoc exotico morbo commercium habere incipiant. Deinde, cum inter Medicos ipsos nonnulli reperiantur (quorum meminit *Cl. Sydenham* in *epist. de Lue Venerea pag. 79.*) qui illius morbi curationem, non docendam esse tradant, ut, spe omni auxilii præcisa, in continentiores à peccato absterreantur, & metu infecuturæ poenæ, castimoniam potius laudem quærant, potuissem & ego, saltem à curatione morbi tradenda, abstinere: verum modo ci-

tatus Autor iis non assentitur, & præterquam quod, *Omnipotentis Dei sit*, ut verba ejus habent, *l. c. fontes castigare, nostrum vero miseris pro virili succurrere*: Non corripuntur tantum hoc morbo scortatores, qui in lupanaribus furiosissimæ plerumque & indomitæ libidini respondentem pœnam accipiunt, & condignum stultitiæ suæ præmium illinc auferunt, verum etiam innocentes, nulla libidinis culpâ, imò sæpe innocui infantes, qui etiam pœnam aliorum in hoc morbo luere coguntur, ut in sequentibus videre est. Ne igitur hi ægrotantes necesse habeant ad agyras, tonsores & infimi ordinis quosque sciolos currere, qui aut fraude aut imperitia, magnoque cum sumptu, majori etiam cum molestia, curationem aggrediantur & protollant, ita sæpe, ut inter tormenta & longissimas medicinæ moras, vitæ plane tædeat ægros, malintque ægrotare quam sanari: Jure merito optimi quique Medici illius morbi curationem discunt & proponunt, qui, si ullus alius, cum verè & non palliativè curari debet, majorum Medicorum operam poscit.

THES. I.

PER Venereum autem morbum, intelligo illum, qui jam per duo penè secula, Veneris usu imprimis se propagat, & partes Veneris exercitio inservientes frequentissimè afficit, in toto autem corpore, variis se doloribus, & in externis imprimis partibus scabie, pustulis, tumoribus, ulceribusque prodit.

II. Equidem in ignominiam quasi variarum Nationum, alia atque alia accepit nomina, diciturq; Serpigo

pigo Indica, Morbus Americanus, Neapolitanus, Hispanicus, Gallicus: Item Scabies Hispanica, Gallica. Verum, cum nullæ ex illis civitate donare hanc lues velint, omnes autem rejiciant, & suo nomine indignam censeant, nos etiam ab illis vocabulis abstinemus. Notum est Epigramma:

*India me no-vit, jucunda Neapolis ornat,
Bœtica concelebrat, Gallia, Mundus alit.*

*Vos Itali, Hispani, Galli, vos, orbis alumni,
Deprecor, ergo mihi dicite, quæ patria?*

Nonnulli pudendagram vocant. Galli appellant *les veroles grosses*, i. e. variolas majores, ob convenientiam aliquam cum variolis pueritiæ familiaribus ratione pustularum in cute.

III. Verum de nomine non est fortassis, ut adeò simus solliciti: id majori cura videtur indagandum, quando & quomodo cæperit. Quamvis enim alii plerique morbi hominibus, quamdiu fuerunt, acciderint, quidam tamen, ceu novi, & inter illos lues Venerea quoque, à Medicis producuntur. Et fuit ferè hæc omnium, sub seculi decimi quinti finem, Medicorum sententia quando in Europa magna vehementia grassatus est. Non enim vulgus tantum, & artis Medicæ imperiti, ad nova illa & insolita symptomata, tanta truculentia omnes penè corporis partes lacerantia, stupebant, ut passim id circo jejunia & religiosæ devotiones instituerentur; sed in Italia, cum circa exortum illius luis, renascentibus jam bonis litteris, præstantissimi Medici, & inlectione Veterum, quâ Græcorum, quâ Arabum, quâ Latinorum exercitatissimi, florerent, in cognitum omnibus fuisse antiquis, fateri coacti sunt, nescientes,

ad quod morbi genus referrent, multo minus quomodo curationem instituerent. Quos inter vel unus Nicolaus Leonicensis, ob summam doctrinae omnigenae laudem & plurimam lectionem memorari hic meretur. Quamvis igitur paulo post, & subsecutis temporibus, non defuerint Viri itidem docti, qui adductis Medicorum veterum locis, ubi de pudendorum vitiis agunt, vel expensis iis, quae de Elephantiasi scripta, vel Historicorum relationibus, & Satyricorum Joci de Romanorum foeda libidine, ortisque inde, contagii etiam quadam, morbis, inter se collatis, persuadere voluerint, Luem Veneream antiquis quoque cognitam fuisse, & alia tantum non nihil facie patrum memoria apparuisse: tamen diligenter omnia confidentibus, facies illa tam diversa apparet, ut quidvis potius, quam talem luem observasse veteres videantur. Si quis tamen doctis illis & ingeniosis conjecturis delectatur, legere poterit, quae cum alii, tum Clarissimus Medicus & Historicus *Job. Isaacus Pontanus Histor. Gelric. lib. XI. ad an. 1496.* & *Job. Rhodius ad Scrib. Larg. compos. 235.* insignisque Polyhistor. *G. Hier. Velschius ad Marcell. Cuman. observ. Med. IV.* annotarunt.

IV. In eo autem consentiunt omnes, morbum hunc Indiae occidentali familiarem esse. Et quidem de Insula Hispaniola à Christophoro Columbo an. 1492. detecta id testatur *Rodericus Diacius Insulanus Hispanensis l. de morb. venereo* Hispanicè conscripto c. 1. cujus versionem Velschio debemus, *ab antiquissimis temporibus morbum illis fuisse endemium, idque satis longa certaque experientia compertum: cui consentit Nic.*

Monar-

Monardes l. de simpl. med. ex novo orbe allatis. Ita enim loquitur ex versione Clusii p. 29. In Insula S. Domini- ci morbus adeo familiaris est, veluti nobis sunt papulae seu morbilli, neque ejus contagium quisquam reformidat.

V. Cum igitur, post detectum novum orbem, apparere in Europa primum inciperet, ex illo ad nos perlatam esse ejus originem, vulgo creditum, & fortassis non sine causa fuit. Gestum eo tempore est celebre illud in Italia, in tractu imprimis Neapolitano, bellum, per Carolum octavum, Galliae Regem, ibique in exercitu, apparuisse primum notant Annales, Gallicumque hinc ab Hispanis, Italisque dictum, & à Gallis vicissim Neapolitanum. At gravissimus Historicus Italus *Guicciard. l. 2. histor. sui tempor.* remonet illam à Gallico nomine maculam, & disertè scribit, *ex Hispania luem illam Neapolim importatam fuisse, nec tamen ejus gentis fuisse propriam, sed ad eam quoque ex illis Insulis allatam, quæ Christophori Columbi Genuensis navigatione detectæ.* Et modo laudatus *Diacius Baë- sæ*, urbe Andalusiae, natus, libro illo, quem Joanni III. Lusitaniae Regi nuncupavit, non dubitavit scribere: *In Hispaniis Barcinonæ, morbum illum an. 1493. visum, & eam primum infectam, & sic deinceps Europam cum reliquo orbe universo.* Cum enim Columbus eo tempore Barcinonem rediisset cum suis, ut Regibus Catholicis itineris rationem redderet, ab exercitu illo infecto (nesciente se infectum, & causas dolorum in maris labores & navigationem referente) per totam urbem malum se diffundere coepit. Hinc in Italiam quoque ad Hispanos & expeditionis Gallicae, quam dixi, occasione, ad Gallos quoque pervenit, quos *Neapoli in aper-*
tam

tam libidinem prorumpentes, suo modo pestem occultam publicasse, & in Franciam libidinosi commercii pœnam tulisse ipse Gallus, Job. de Busfieres scribit. hist. Franc. l. 14. p. 117.

VI. Et hæc quidem uti valde probabilia & à viris fide dignis relata, quæque diligenti observatione innotescere potuerant, apud plurimos etiam fidem inveniunt, & hodieque habent. Non defuerunt tamen, qui longe alia de morbi novi in Italia exortu sibi primum persvaderent, vulgo dein credulo narrarent. Alii enim à concubitu cum leprosis fœminis, alii ex incongrua victus ratione, esu humanarum carniùm, aut aliarum quoque salutarum, vinis crudis, in calidissimo cœlo, accedente cum scortis consuetudine, in Gallorum exercitu malum esse obortum, narrant, verum sine ulla verisimilitudine, quamvis nuper quoque *Gideon Harveius lib. de morb. Gall. Anglice Conscripto art. 7. pag. 2.* illam de origine à victu malo sententiam amplexus, explicare pluribus conatus fuerit.

VII. Illis igitur, tanquam per se concidentibus, omiffis, sententia tamen *Hieronimi Fracastorii*, vel ob summam ingeniosissimi & doctissimi viri auctoritatem expendenda fuerit. Existimat vero cum in *l. de Syphilde, tum l. 2. de morb. cont. c. 12.* novum esse morbum, ex aëris constitutione peculiari tum obortum, non autem per contagium ex India allatum, cum primo innumeri per se citra ullum contagium infectionem perpeffi sint, secundo, impossibile sit, contagionem per se segenem, tantum terrarum pervagasse, & ab una classe ad Hispanos primum delatam esse, cum eodem tempore & fere eodem, & in Hispania, & Gallia, & Ger-

& Germania, & tota fere Scythia visa fuerit. Verum illa quidem à Fracastorio allata, nondum à sententia dicta me dimovent. Videtur enim Fracastorius, contagium morbi venerei supponere tam lentum, quale id suo ævo fuit, in principio etiam fuisse, in quo omnes reliquos scriptores habet dissentientes, & seipsum sibi dein contrarium. Si autem illa contagio in principio celerrime se diffudit, & citra contactum venereum, aut plane etiam citra contactum immediatum (quod scriptores testantur) qui potest certo asserere, multos fuisse per se sine ulla contagione infectos? videtur hic optimo Fracastorio accidisse, quod circa pestis contagium plurimis aliis, qui illud non observarunt, quamvis sit manifestissimum. Quod autem dicit, non potuisse tam subito per tot terrarum tractus dispergi, miror. Ipse dicit: *eodem tempore* in tam variis locis observatam luem, sed mox corrigit sese, & addit *fere eodem*. Posterius sane verum est, & de Germania constat, in eam tarde & lento satis gradu pervenisse luem. Quid vero mirum est, quando in magno exercitu, ex tam multis collecto, cæpit, varia in loca & cito quidem, dispersum esse malum, aliis hinc inde ad sua, ut fieri solet, delapsis. Cujus rei manifestum exemplum in Ungarico morbo superius seculum vidit, in castris ad Comorram & Jaurinum nato, deinde ad Viennenses & mox in totam Europam delato, per milites exauctoratos & ad sua dilapsos V. *Jac. Aug. Thuanum histor. l. 39. ad ann. 1566.* Non potuit igitur aliter fieri, quin hic quoque morbus, per totam Italiam, quâ Hispanis, quâ aliis paret Dominis, mox, durante bello, diffunderetur, uti *ad venarum contagione* in urbem quoque

Venetam venisse admittit *P. Bembus histor. Venet. l. 3. p. 110.* Et ita quoque Galli à suis militibus, domum redeuntibus, infecti sunt. Et tandem vicinæ quoque Italis Gallisque gentes per mutua commercia id senserunt malum. In Belgicis vero tractibus tum statim id observatum fuit, quando ex Hispania classe advecta Johanna Arragonia promiscuam sexus utriusque multitudinem secum duxit, notante *Job. Isac. Pontano l. c. p. 507.*

IIIX. Uti vero ex aeris constitutione non venisse hoc malum contra *Fracastorium* asserimus, ita suo quoque loco relinquimus, illam cœli faciem & siderum concursum, an scilicet causam morbi iis recte tribuerit *Fracastorius*. Natam statim apud non nullos illam sententiam, in fluxui cœlesti deberi id malum, vel ex *Marcilli Cumanii*, qui Medicus Castrensis fuit, in auxiliari Venetorum exercitu, observationibus videre est, aliique postea id dixerunt, elegantius tamen de coitu illo seu conventu raro Saturni Jovis & Martis, illiusque effectibus differit *Fracastorius*. Qui illud quoque addit, *Astronomos certis ante annis eam lue prædixisse*, respiciens forte ad *Dominicum Mariam Ferrariensem* Copernici Præceptorem quem ex conjunctione Jovis & Saturni eam observasse, notat *Bartholomæus Cocles Chiromant. Parv. l. vi. c. 243.* Ipse tamen *Fracastorius* deinde scribit, *Astrologos non de hac in specie lue, sed conjunctionem illam videntes novas magnasq; ægrotudines portendi prædixisse.* Solet scilicet id genus hominum prædicere ea quæ ordinario eventura norunt, nunquam non aliquot annorum spatio ostendentibus sese Epidemiis morbis,

morbis, calidioribus præsertim in locis, quos ob symptomatum novam varietatem, novos appellat vulgus. Vide contra Astrologos disputantem *Fallop. l. de morb. Gallic. c. 7.*

IX. Sunt tamen alii in hac sententia, hodieque morbum illum Venereum, citra ullum contagium, posse nasci in altero sexu, si scilicet, una foemina cum pluribus viris sæpius rem habeat, ex diversitate feminum ortis virulentis illis humoribus, qui foeminam primum, dein viros quoque accedentes morbo hoc in *συνσποία* inquinant, inficiantque. Qua in sententia præter alios est *Th. Aur. Minadous lib. de virul. vener. c. 29.* prolixèque id explicare conantur *Job. Bapt. Sinibaldus Geneanthrop. lib. ix. tract. 11 c. 12.* & nuperimè *Nicol. de Blegny Chirurgus Parisiensis in lib. l' Art. de guerir. la malad. Vener. in scripto, adducta in eam rem notabili historia.* Jam tum quoque *Vallesius Comm. in Epid. Hipp. l. 3. sect. 3. egr. 11.* scripsit, ob solum Veneris immoderatum usum, citra ullam contagionem, morbum Gallicum dictum, fieri posse. Et *Nicolaus Massa C. 2 de morb. Gallic.* ex intrinseca causa illum fieri posse, exemplis trium puerorum, qui lacte nutricis infecti non fuerint, nec venere per ætatem uti potuerint, probare id ipsum nititur. Quin si maxime concedamus, luem istam hodie contagio, ex India primum allato, propagari, in ipsa tamen India ex causa aliqua nata sit necesse est, quæ cur similiter aliquando in nostris locis adesse, & similem morbum producere non possit, nihil causæ subsit.

X. Quæ quidem aliquam habere verosimilitudinem, non diffiteor. Sunt tamen etiam non pauca,

quæ in illam me sententiam secedere non patiuntur. Mirum enim esset, olim apud Græcos Romanosque, & alias gentes, cum spurcæ Veneri templa erigerentur, & libido sine modo, sine poena, gentiles inter, exerceretur, non potius natum esse hunc morbum, quam ante duo demum secula inter Christianos, luxuriam istam, quantum fieri potest, cœcentes. Non tacuissent vero foedos illos morbos, in nunquam satiatis Messalinis, aut Summænianis Satyrici, si iis laborassent. Non est tamen, ut ratiunculis hæc res disputetur. Exempla vero, saltē hætenus adducta nihil convincere patet, cum ex iis, quæ mox dicam, clarissimum sit, latere sæpe per plures annos veneream labem in corpore, nec signis sese prodere, ut proinde illi, qui puros sese dicunt aut credunt, pro puris non statim haberi possint. De Indis autem dicendum videtur, apud illos morbum hunc esse Endemium, quæcunque etiam in illa plaga causæ talem esse faciant.

XI. Sed missis istis, videndum potius, quomodo sese propaget morbus; quod hodie contagione quadam fieri, omnibus notissimum. Quamvis enim in initio, nonnulli putarent Epidemicum esse morbum, qui aëris vitio, citra contagionem, tam multos afficeret, mox tamen deprehenderunt contagio propagari, & ipse *Fracastorius l. c.* fatetur, annis latentibus mutationem morbi factam, dispositione prima, quæ in aëre fuerat, cessante, nec morbo etiam sui propagationem habente, quam è contagione unius ad alterum. At quomodo sese habeat contagium, & per illud propagatio fiat, distinctius videndum.

XII. Id

XII. Id tamen in principio statim moneo, cum ante hæc duo circiter secula, inciperet primùm morbus, longe majus & vehementius fuisse ejus contagium, quam subsecuto id tempore fuit aut nunc est. Fatentur omnes senuisse morbū, & non tantum variorum symptomatum ratione, sed & contagii ipsius, aliam faciem accepisse, ut *Fracastorius* etiam existimet, *non longè post futurum, ut ne quidem per contagem se propaget*, quoniam materia in dies fiat frigidior & terrestrior, in qua seminaria tum & pauciora, tum & debiliora gignantur, propter quod nec jam facile concipiatur nunc ea contagio, uti prius solebat.

XIII. De vehemēti igitur illius contagio, in principio, pleni sunt omnes libri, & plurimæ passim extant querelæ, quibus ex scribendis paginas has impenderenolo; quod tamen præter *Rodericum Diacium* l. c. nemo, quod sciam, notavit, de contagio ad plantas quoque & animalia traducto, verbis ipsis referam: *Primis, inquit, quindecim annis tam contagiosus extitit, ut etiam in plantis ipsis fuerit observatus. Bæisæ enim in hortis, ubi stagna sive vivaria erant, in quibus vestimenta infectorum lavari solebant, aqua ejusmodi irrigatæ stirpes, maximè caules, iisdem inficiebantur, postea albescebant, erantq; tam similes, ut pueri boas ex caulibus forficibus in ambitu exciderent, & quam minimum de foliis decerpentes, saliva interius madefactas, faciei imponerent, tam naturales videbantur plerisq; inspicientibus, quibus adfigendi modus ludicus incognitus erat, ut cum stupore veras boas arbitrarentur. Multa etiam animalia sequentibus temporibus eodem morbo tacta deprehensa.*

XIV. Cum autem tribus modis contagio fiat, vel per immediatum ipsius morborum corporis contactum, vel per corporis alterius, cui ceu fomiti inhæret miasma, approximationem, vel denique mediante aëre, de illis singulis propagandi modis aliquid dicam.

XV. Et immediatum quidem contactum quod attinet, uti scabies, quæ manus aliasque corporis partes inficit, hoc modo se propagat, ita etiam de lue Venerea plane negari id nequit, si præsertim diutius paulo corpora sese itant & simul incalescant, & sudor transpiratioque promoveantur. In primis tamen per contactum partium veneri in servientium in *συγγαμία* luis fit propagatio, sive oculto Dei iudicio, sive quia partes illæ tum incalescunt, & sua natura ad recipiendum *μιάσμα* sunt aptiores. Quæ ipsa de causa etiam observatum est, per libidinosiores osculationes in partibus oris mollibus inquinamenta illa defigi. Per levem tamen contactum, manus alteriusve partis, statim communicari id malum, saltem nostro tempore, non constat, contrariumque docent exemplo suo Chirurgi, Obstetrices & ægrorum assistentes, à malo illo, licet nunquam non corpora tangant, immunes. Unum enim exemplum, quale de Chirurgo adducit *Blegny l. c. p. 121.* aut aliud, hanc rem non conficiet, sed de communicatione alio modo facta suspicionem potius augebit.

XVI. Huc vero facit quoque communicatio Luis Venereæ per lactantes infantes nutricibus suis & per nutrices vicissim infantibus factas. Ut ut enim in posteriori casu suspicari aliquis possit, per ipsum lac infectum, quod fugit infans, communicari ipsi malum,

lum, clarius tamen est, per contactum mutuum
mammæ, seu papillæ nutrientis, & oris sugentis id
fieri, nec aliter id posse fieri, cum à sugente, inficitur
lactans. Sunt autem partes illæ ad *diroegias* recipien-
das aptissimæ, mollitie & teneritudine sua, & conta-
ctus proximus est, & cum aliqua fit attritione. Res
certe ipsa certior est, quam ut probari debeat, opta-
rentque id fieri non posse, integræ sæpe domus & in-
nocentes familiæ, unius spurcæ nutricis contagine in-
fectæ. Exempla duo habet *Brassavola de morb. Gal-
lic. lib.* Et imprimis notabilia sunt, quæ de morbo,
Soogster Sieckte, Middelburgi in Seelandia per aliquot
annos plurimas fœminas & infantes, cumque illis
commercium aliquod habentes, affligente, ante hos
undecim annos scripsit *Antonius Euerardi*, Medicus
insignis, qui morbo Venereo tam similis est, quam lac-
tati, cujus originem refert ad fœminam, lac ex puer-
perarum mammis exsugentem, aut papillas suctu
provocantem.

XVII. Secundus modus, quando scilicet per al-
terius corporis contactum, cui ceu fomiti inhæret,
miasma communicatur, inter initia frequentissimus
fuit. Ideoque & lectos, & vestes, & calceos infecto-
rum vitabant quam maximè, & ut loquitur *Fallopium*,
*non ita liberi accedebant ad Hebræos ad emenda vesti-
menta.* Habetque horrendum exemplum de puella
per caligas juvenis, quas ludens induerat, infecta, *Fa-
bric. Hidan. C. I. obs. 100.* Imo cochlearibus, vitris,
poculisque ab infectis affigi virus observabant, ita ut
deinde iis utentes similiter inficerentur. Quod tamen
sensim remisisse, idem *Fallopium*, aliique notant, quam-
vis de

vis de ministro Valetudinarii Patavini S. Francisci, qui calices infectos diu ficcarat, memorabile exemplum extet apud *Job. Rhodium Cent. 3. obs. 82.*

XIIX. De tertio vero communicationis modo, mediante aëre, dubitare multi voluerunt, an unquam in lue Venerea fuerit observatus, ceu in peste, aliisque nonnullis morbis contagiosis. Si enim tam præsens periculum esset, nemo cum infectis conversari, propriusque illos accedere auderet, metuendumque, ne totus tandem orbis inficeretur: imo infectus dudum ille jam fuisset. Interim eo tempore, quando per medicamenta sive sudorifera, sive mercurialia salivationem commoventia, fit expulsio humoris extra corpus, fortassis aliquando per illas *σπογγίας*, latius jam se diffundentes, infici astantem posse, citra immediatum contactum non plane negaverim. Et id observatum, scribit *Guidé traité dela natur. du mal. Vener. p. 12.* in illis qui vapores inspiraverint, cum ægri in Laconicis spiritu vini incenso sudarent, affecto primum ore, deinde toto corpore infecto; facitq; huc exemplum à *Fabricio Hildano Cent. V. obs. 99.* adductum, quamvis contrarium doceant tot Chirurghi, aliique ministrantes, ægris proxime inter sudationes & salivationes assistentes.

XIX. Placent mihi in hac de contagio luis venereæ doctrina imprimis ea, quæ *Hercules Saxonia* singulari libro judiciosè differit, ubi c. 2. negat ea, quæ de Chirurgorum, Obstetricum, Ministrantium per solum corporis contactationem infectione, de poculis item & accubitu ad mensam vulgo dicuntur: admittit tamen, accubitum in eodem lecto posse esse
conta-

contagiosum, si infectus scabie aliove simili cutaneo affectu laboret, & sudor copiose prorumpat: dein c. 3. docet, non omnem luem esse contagiosam & plerumque minus contagiosam esse vetustam & confirmatam, quam recentem & mediam, illamque, quæ tophis tantum seipsam prodat, aut ulceribus capitis, aut mammarum, non esse contagiosam, exemplis in eam rem adductis. Ut enim aliàs in scabie experimur, non omnem esse contagiosam, scorbutum quoq; & phthisin, imò, ut *Tulpius* vult, Cancrum aliquando tantum per contagem ad alios se propagare, & in febribus intermittentibus observamus, in principio interdum contagiosas eas esse, deinde non item, ita quoque de luis venereæ contagio distinctè sentiendum est, & aliter de summi gradus lue, & cum magna putredine, cum multis ichoribus, & fermentatione, & inter initia constituta, addo etiam in locis calidioribus, loquendum est, aliter de illâ, quæ juxta omnia jam dicta diversimode se habet; nihil autem juxta vulgi placita & anicularum gerras, sed secundum constantes & sine præjudicio factas observationes determinandum.

XX. His jam præmissis, effectus illos, quos *μῑασμα* venereum, intra corpus receptum edit, diligenter, & quodam etiam temporis ordine observato, enarrabo, cum non tantum illi luis hujus signa sint, sed ex illorum inter se collatione naturam demum luis intelligere & æstimare liceat. Ubi tamen notandum, (quod huic morbo cum paucissimis commune est) eam non per dies aliquot, aut menses, sed per plures annos in corpore interdum latitare, antequam effectibus ul-

C

lis,

lis, aut certe notabilibus, sese prodat, quamvis interdum cum foenore dein id compenset.

XXI. Solent quidem Autores signa incipientis, adultæ & confirmatæ jam luis, in certas classes dispescere, & tyronibus proponere, ac si semper ita observarentur. Et *Fernelius*, præstans alioquin observator eorum, quæ ad hanc luem pertinent, quatuor gradus facit, & in primo, capitis tantum & barbæ pilos decidere, in altero maculis corpus conspurcari, in tertio pustulis & ulceribus illud defœdari, in quarto ossa carie & tophis obsideri scribit.

XXII. Verum, qui recte hujus luis notitiam acquirere sibi vult, pleniori historia tam mire variantem morbum, & non injuria Proteum à quibusdam appellatum, cognoscat, necesse est. Nam primò symptomata illa non parum variant, si legas scriptores, qui natam ante secula luem descriperunt, & cum illis conferas, qui hodieque, ut sese habet, depingunt. Primis quadraginta ab exortu ejus annis non observatum pilorum defluviū, & trigesimo demum à suo ævo anno gonorrhæam, notat *Fallopianus* c. 23.

XXIII. Dein plurimum variant ratione modi, quo communicatum est contagium, ita ut plerique quidem (cum frequentissimè veneris usu contrahatur malum) circa pudendas partes, caries, inflammationes, tumores, ulcera, humorum profluvia, & inter initia imprimis suscepti contagii, patiantur; alii tamen, qui diverso modo infecti sunt, in illis pudendis partibus aut nunquam aut tardius saltem, aliquid præter

præter naturam sentiant, cum alibi, in corpore ulceribus, tumoribus, doloribusque satis sese exerat malum.

XXIV. Præterea experientia constat, non semper luem illam ita sensim sensimque adauctis symptomatum gradibus procedere, sed aliquando quadam præcipitantia à summo incipere, prout scilicet humoris major aut minor est virulentia. Et illa quæ per aliquot tempus intra corpus, sine notabili effectu, delituit, quando per causas procatarticas excitatur, gravibus ut plurimum symptomatibus ostendere sese solet.)

XXV. Denique, uti hæc lues, pro diversitate sexus, non nihil variat, ita etiam pro diversa constitutione hominum, quos invadit, alios effectus edit, & imprimis, si corpora jam tum cacochyma, aliisque morbis detentaprehendat, quibus dum sese associat, ita eos pervertit, ut novi morbi ab imperitis censeantur. Cumque corporum constitutiones, ratione diversarum regionum, non parum etiam variant, & plurimis regionibus sui sint endemii morbi, hinc fit, ut lues Gallica toti pene orbi (ne Islandia quidem excepta, ut *Dithmarus Blefkenius* notat) hodie communis, in hac tamen vel illa regione, dum inquilinis se sociat morbis & à dispositione hominum novam faciem accipit, diversimode in suis sese effectibus ostendat.

XXVI, Summatim igitur plerosque perniciosi hujus miasmatis intra corpus recepti effectus enarrabo, præmissis iis, qui passim in toto corpore, dein subjunctis, qui in singulis partibus apparent. Post-

quam enim semel sanguini communicatum est malum, nulla dein corporis particula libera est, ad quam non accessus detur. Ideoque etiam in toto corpore lassitudinem, coloris, in facie imprimis, mutationem, cachexiam, præternaturales incalescentias, febres hæticæ tandem, & tabem sentiunt. Passim vero in corpore, mollioribus partibus imprimis, ulcera, in aliis maculas, rhagades, pustulas, tubercula, excrescentias, gummata, tophos, schirrhos, in ossibus ipsis, tumescencias, abscessus, caries: in partibus glandulosis tumores, in pilosis defluvia, dolores denique ὀστέονόπυς & intolerabiles sæpe, in mediis imprimis artubus.

XXVII. Quod si jam singulas partes consideremus, & à pudendis, unde plerumque malum, incipiamus, in membro virili excoriaciones, & ulcuscula, pustulæ miliares prurientes, deinde ulcera profundiora & callosa, virgæque tumor turus & phymosis: nec minus alibi circa pudenda, ulcera, & in inguinibus bubones: in ipsa vero urethra erosiones & carunculæ, & ad eam in prostaticis ulcerationes, unde materiæ, quodammodo seminalis, virulentæ, & ferosæ, effluxus observantur. Nec minus in altero sexu circa loca muliebria, pustulæ, rhagades, ulcera serpentina & dein profunda, cum multo itidem saniei profluvio, condylomata quoque & cristæ oboriuntur.

XXVIII. Hinc vero & vicinæ partes patiuntur, & non tantum in scroto, perinæo & ano pustulæ, & in illa mariscæ & condylomata, sed præterea maxima ulcera, sinuosa & fistulosa observantur, quæ ad vesicam, & intestinum rectum penetrant.

XXIX. In abdomine reliquo & pectore rariores observan-

observantur hujus morbi effectus, nisi quod cachexiâ in lue inveterata obortâ, viscera abdominis omnino afficiantur, & pustulas quoque & ulcera in internis illarum cavitatum partibus post sectionem deprehenderit Anatomici. Thymum tamen in summo thoracis collocatum affici quoque in hac lue venerea, notavit *Cl. Simon Pauli digress. de febr. mal.*

XXX. In capite vero & ad caput plures effectus maligni hujus fermenti deprehendimus. Nam ita aliquando, miserabili metamorphosi, id immutatur, ut facies humanæ similis non sit, qualem Neapoli occurrentem, cum styli dexteritate exprimere se posse desperaret, depingi fecit & *lib. de abscessibus p. 249.* inseruit *Cl. Marcus Aurelius Severinus.* Præter enim dolores, qui in fronte imprimis intolerabiles sentiuntur, & capillorum, barbæque & superciliarum defluvium, hîc frequenter pustulæ, & in labiis, ore, naribus ulcera, exesis non tantum membranosis partibus & glandulosis, ut tonsillis, uvulaque, sed ipsis ossibus narium erosio, unde vocis & loquelæ depravatio & incurabilis interdum rauco. Nec aures, circa quas tinnitus: nec oculi, in quibus dolores, rubedines, & involuntariæ lacrymæ, à malo immunes sunt. Cranium exeditur, (quale Lugduni Bat. apud celeberrimum *D. Drelincourtium* vidi) tophisque & gummatis deformatur: imo in dura membrana, pia illæsa, tria gummata candida, in rustico lue venerea detentò observata sunt apud *Rhodium Cent. 1. obs. 33.*

XXXI. In Artubus dolores insignes observantur, & quidem circa perioestia imprimis, & non tam in articulis, quàm in medio ossium spatio, & illi dolores nocturno tempore imprimis augentur, non secus ac capitis dolores.

lores. Musculi quoq; ad motum, diu durante lue, fiunt inepti, & ægri quadam quasi paralyfi tentantur. Nec minus in carnibus, crurum præsertim, fæda & magna ulcera oboriuntur ad ipsa usq; ossa pertingentia, quibus apostemata & cariem inducunt: quamvis non infrequenter, exterioribus salvis, intus carie erosa ossa observentur & fragilia, quod docent exempla à Fabricio Hildano aliisque allata.

XXXII. Et hæc quidem pleraque sunt, quæ in lue Venerea laborantibus observantur, nec certo definire licet, quænam ex illis incipienti, quæ adultæ, aut quæ denique inveteratæ tribui debeant, nisi quod in genere dici possit, gravissima quæque mala, & magnam eorum syndromen non statim inter initia solere apparere. Cum tamen plerumque usu veneris contrahatur lues, in principio apparere solent, cum caries in pudendo, seu cancer, tum penis quidam tumor & gonorrhæa, quæ non tam pro ipsa lue quam luis principio merito habentur; si enim rectè in principio tractentur, lues inde non oritur, at si negligenter, & intempestivè supprimatur gonorrhæa, tum virus in universum sanguinem & hinc in corpus sese diffundit, & vera fit lues, reliquis modo dictis effectibus stipata. Descripsit ordine & elegantissime *Th. Sydenham Epist. de lue vener.* omnia ea, quæ in principio in pene, & circa urinæ ardorem, gonorrhæamque observantur, qui imprimis legi meretur.

XXXIII. Et hæc quidem pleraque sunt, quæ in lue Venerea affectis observantur, non omnia tamen in omnibus, sed quædam in his, alia in illis. Possunt quidem dein multa adhuc alia etiam supervenire symptomata

ptomata, quæ tamen, cum vel ab his modo allatis dependeant, vel à cachexiâ corpori inducta, peculiarem enarrationem non merentur: Cum enim tandem lenta tabe & misera morte pereant, multa antea observantur symptomata, quæ luis venereæ propria non sunt.

XXXIV. Sufficere igitur hæc arbitror, & jam ad causam hujus mali indagandam progrediar. Cum autem in nostro saltem orbe, solum per contagium, lues hæc propagetur, illius miasmatis, quod ex uno corpore in aliud transit, natura investiganda fuerit. Vellem autem me esse tam felicem, quam hodie nonnulli sese putant, ut venerei miasmatis naturam, omnem, & modum varios effectus in corpore producendi, clare ob oculos possem ponere. Referre sententias illorum non difficile esset, cum publicè non uno libro proditæ sint, & facerem id pluribus, nisi æquè displicituras eas judicioso lectori, quam displicuerunt mihi semper, præviderem. Dicendum tamen aliquid est.

XXXV. Jam tum à *Paracelso* alicujus *acetositatis* in hoc morbo fieri mentionem video, etiamsi ut solet ille, nec rem explicet, nec probet, nec sibi constet satis. Nostro autem seculo, quando illa Paracelsica dogmata clarius & evidentius proponi, & si non omnes, saltem illi morbi, in quibus aliqua humorum acrimonia manifesta, ab acido aut lixivo sale deduci, magno seculi applausu, cœperunt, Venereæ luis causam Acidum constituerunt, & ab ejus effectibus omnia symptomata explicare conati sunt. Multus in eo est magnæ famæ Medicus *Francisc. Sylvius lib. pecul. de L.V.*

Argu-

Argumenta autem sententiæ suæ probandæ ab iis, quæ in morbo hoc semper apparent, doloribus, ulceribus, carieque desumit, & ab iis medicamentis, quæ in hujus morbi curatione hæctenus usurpata sunt, in quibus alcalicum aliquod sal sibi fingit, & illius ratione acido venereo resistere credit. Imprimis autem Mercurium alkalinae naturæ esse supponit, illum proin acidum Venereum in se allicere vel admittere, mox per salivationem educere & ita luem curare. Quæ sententia etiam hodie in Gallia magno cum applausu recepta est, ut ex *D. Guide, Blegny, & Nic. Lemery tractatu Chémico* cernere licet. Quin videntur inter se de primo inventore illius hypotheseos vehementer digladiari, cum tamen, si tanti res sit, inventionis gloria *Sylvio* debeatur.

XXXVI. At profecto mirum est, præclaros illos Viros probationum suarum ex falsissimis hypothésibus in sufficientiam non videre: magis vero mirum, illos tantum morbum, tamque multiplices effectus ab acidi alicujus intra corpus receptione velle deducere. Quis enim unquam ab acido, fortissimo licet, tales effectus in corpore nostro oboriri vidit, quomodocunque etiam corpori, & quibus ejus partibus, communicetur? Quotidie enim Chirurgi partibus externis corporis etiam maxime sensibilibus & porosis, acidissimos, nec unius generis, spiritus admovent, unde, nisi in parte illa, effectus nullus, aut, si propter affectas fibrillas nerveas alibi in corpore quid observatur, nihil cum venerea lue id commune habet. Quando mulieri ulcus in uteri cavo habenti Vitriolum Romanum (in quo utique ipsi acidum agnoscunt) injici fecit *Har-*
veus

Veus de gener. anim. p. 356. uterus quidem se contraxit, induruitque, & simul symptomata hysterica oborta, donec placatus iterum anodynus uterus liquorem acrem injectum cum putrilagine expelleret: at veneream inde luem obortam non legimus. Retulit mihi *Cl. Dn. Praeses* historiam foeminae cujusdam in hac urbe, cui errore, loco decocti ordinarii, acerrimi aceti vini libra integra per clysterem injecta fuit, unde illa toto corpore tremere, convelli & tantum non suffocari, donec injectis iterum oleosis clysteribus, ad se rediret. Nulla vero nec hic oborta condylomata Venerea fuerunt. Prudenter & elegantissime *Fernelius* scribit: *Hoc in morbo (venereo) aliisque venenatis plurimos videas captiosa, eaque admodum inani, ratione falli, quod, dum vident symptomata haec omnia cum humoris cujuscumque vitio (e. gr. acidi aut acris) insultare, nihil praeter humorem (acidum) inesse putant, nihil majus animo concipiunt, neque acriori animi acie perscrutantur, num aliud quippiam in humore subsit, in quo praecipua affectionis causa subsistat: quale procul dubio, si sensu non cernimus, potest certa ratione ac intelligentia comprehendere, alioquin in maxima rerum ignoratione versamur.*

XXXVII. Scilicet ipsi agnoscimus, in lue Venerea humorum acrium (acrium dico, sine determinatione, cum omnia acria, aut acida aut lixiviosa esse, nimis magnum postulatum sit) praesentiam, à quibus etiam non pauca symptomata dependeant, non tamen idcirco ipsum illud *μιασμα*, seu fermentum venereum, quod ab uno ad alium propagatur, acre vel acidum esse; multo minus in illa acrimonia vel aciditate fermenti illius naturam omnem & vim consistere, & ab

illo acore omnes illos effectus produci admittimus. Non igitur nego quoque, quædam medicamenta, acres & acidos humores contemperantia, in lue venerea conducere, eoque nomine recte adhiberi, sed in illa contemperantione acidi, curam luis venereæ consistere nego, idque dein in curatione ostendam, examine simul medicamentorum probatorum instituta, an acida temperent & infringant, ceu vulgo asseritur.

XXXIIX. Debet in Lue Venerea non unum aliquod symptoma expendi, ad causam ejus vestigandam, sed tota morbi gravissimi historia à principio ad finem considerari, non secus, ac ad fermenti febrilis naturam determinandam non sufficit capitis dolorem aut sitim aut æstum ponderasse, sed omnis symptomatum series, accessusque pariter & recessus expendendus est, & à causa illa, quam ponimus, deducendus. Igitur & in Lue Venerea perpendendum est, morbose corporis attactu aliquid communicari, sæpe plane insensibiliter, cujus minima portio, aliquando quidem ipsam, quam tetigit, partem mox afficiat, sæpius autem non, in totum autem deinde corpus serpat, externas internasque partes non uno modo afficiat & contage iterum ad alios sese progaget: sæpe etiam, communicatum corpori lateat per plures menses & annos, nec prodeat sese signis, nec acrimoniam suam ostendat, alii vero interea communicari possit. Hæc in Lue Venerea imprimis admiror, hæc etiam ab acido deduci per ingeniosos illos, & sibi in hypothesi illa sua nimium placentes, velim. In hoc enim aliis quoque hætenus aqua hæsit: dolores vero partium erosionesque & caries ab acri deduxerunt, quamdiu
de

de Lue Venerea quisquam scripsit, etiamsi hypothefi illa de folis duobus acribus alcali & acido in rerum natura existentibus ignorata, de solo acido non loquerentur.

XXXIX. Quamvis igitur concedam, in Lue Venerea acres observari humores, aut interdum quoque acidos, aut varii generis, uti acria inter fe admodum combinari posse, Chemia in falibus arte factis, & aliàs Natura docet, ipseque Sylvius mixturam acidi & lixivi falis in Lue Venerea non uno loco agnoscit: quamvis inquam hoc concedam, non tamen ipsum fermentum seu *μίσμα* Venereum idcirco acidum dicendum fuerit. Quando enim illud corpora, ipsis, qui inficiuntur, nullo modo advertentibus, sensuque id non percipientibus, intrat, latitatque longo tempore, sine ullo effectu, nisi quod langvorem forte aliquem inducat, aut subinde phlogosin, quis suspicari acidum aliquod possit? An ita acidum agere solet? & quidem acidum tam forte, quod deinde non molles tantum partes, sed ipsa ossa erodat? Videtur igitur *μίσμα* illud, postquam corpus intravit, sua demum in illius humores actione acrimoniam illam producere, & huc ire videtur Sylvius quoque, quando venenum illud venereum acido nostro naturali se jungere, illud alterare & in suam naturam vertere scribit; quamvis hypothefin illius de acido naturali non admittam, ipsumque etiam illud venenum acidum putet, quod acido naturali sese deinjungat.

XL. Nec tamen ego scio, quale illud *μίσμα*, quale fermentum, quod tantæ in corpore activitatis est, sed libenter fateor ignorantiam meam, vocoque mi-

asma & Fermentum Venereum, quod scilicet talem morbum producat. Malo enim nihil dicere quam aliquid sine probatione asserere, aut asserere ea, quæ falsa statim omnibus appareant. Scio quidem, qui talia mecum dicunt, tanquam occultarum qualitatatum patronos vulgo traduci, & irrideri ab illis, qui felicibus ovis nati, omnia abstrusa se explicare posse per acida & salia lixivia arbitrantur, & hos applausum hoc seculo mereri, non attendente quid dicatur, modo aliquid dicatur.

*Felices quibus ista licent, miramur & illos
Et nostri miseremur.*

Bonum vero factum! quod post omnia & multiplicia illa per acida & lixivia tormenta, nihil magis ipsi tandem explicant, quam nos, & fateri ignorantiam suam coguntur, non verbis quidem (sibi enim sufferri nimis sunt, nec lectores aliàs aut applausores invenirent) sed opere ipso. Ipse enim *Cl. Sylvius* primus illius sententiæ, & temporis ordine, & meritis de arte Medica, Patronus scribit; *venenum Venereum consistere in acido sed suo modo peccante*, aut ut deinde loquitur: *Venenum in venerea lue observabile, atque partibus omnibus adversum, consistere primario in acido acrimonia peculiari peccante* Ipsum autem illum modum, illam acrimoniam peculiarem non explicat, facturus certè, nisi æque ignoraret, ac alii. Quid igitur me juvat, si quærenti de causa cancri, respondeatur, *acidum* id esse *peculiare*: si de causa luis venereæ, itidem respondeatur, *acidum* id esse *suo modo*: quid inquam me juvabit modo non cognito? an hoc intellectum meum magis satiabit, quam si alius dicat statim ingenue, naturam
veneni

veneni illius esse occultam, latere animos temperatos & illudere curiosioribus.

XLII. In illa igitur imbecillitate cognitionis humanæ, cum Medicus tamen, exclusione *μιασμάτος*, licet incogniti, attingere Scopum suum & mederi ægro possit, contenti paupertate nostra, nec in hiantes aliorum inanibus divitiis, sedulo observemus tantum illos effectus, quos producit in corpore miasma venereum, ut dein non illud tantum excludi, sed & producta ab eo tolli commode possint.

XLIII. Et quidem cum in prioribus prolixus fuerim non ego nunc omnes effectus veneni illius, quomodo producantur, explicabo, cum præsertim à nonnullis id præclare factum, harumque thesium ratio, multum ab integra tractatione distet. Id videtur probabiliter posse colligi, *μιασμα* illud in corpus receptum, non eodem quidem modo in omnia agere, sed pro ratione diversitatis ipsorum corporum diversimode, ut plurimum tamen partim humores corporis acres & corrosivos reddere, partem sanguinem & humores, lentos viscososque reddere, & hinc partium quorundam tumores duros, aliorum inflammationes, ulcera, & erosiones, in toto autem lassitudines, torpores & dolores dependere. Quod si partes aliquid habent peculiare, inde quoque peculiaris symptomata nascantur, necesse est, ut ab ulceratione prostaticarum gonorrhææ.

XLIII. Acres vero illos humores esse etiam peculiaris naturæ, nec ad acidos, nec ad alcalicos referri posse, etiam si aliquando his, aliàs illis aliquid non absimile habeant, arbitror. Quod enim à medicamentis juvantibus desumitur argumentum, id hîc quidem ni-

mis imbecille, cum plura ex illis ex falsa hypothefi credantur esse alkalia, pleraque etiam non tam corrigant humores, quam educant. Ut igitur plurima esse acria differentia in plantis, mineralibus, & animalium succis neminem latet, ita etiam sui generis acre esse in Lue Venerea certum, imò illud acre dein ratione ipsorum hominum infectorum aliquantulum variari & proinde in quibusdam & forte plerisque, partes molles afficere, in aliis mollibus plane intactis, vel certè nondum affectis, ossa corrodere. Quas differentias nemo quidem mortalium fortassis exactè comprehendet, quomodo tamen juxta illas variari feliciter cura possit, longo usu & diligenti observatione medicus addiscere poterit.

XLIV. Jam igitur ad signa Diagnostica accedere mihi licebit, quæ tamen in historia supra jam tum omnia sunt memorata. Aliquid tamen adhuc de illis monendum fuerit. Scilicet in tanta varietate symptomatum alia magis Lue Venereæ esse propria, alia minus, & priora imprimis esse ad dignoscendum eum ab aliis morbis, attendenda. Magis proinde proprios esse illos affectus præter naturales, qui in pudendis partibus, quam qui alibi in corpore apparent. In illarum tamen etiam partium affectibus probè considerandum esse, prodromos interdum potius esse luis, quam luem ipsam cum curari ita possint, ut nunquam oriatur vera lues; quod de carie penis & vulvæ, gonorrhæa item certum est. Non deberi autem temere ex uno aut altero signo, sed pluribus & concursu multorum signorum fieri judicium.

XLV. Præterea, cum non pauci morbi sint, qui aliquam

aliquam habent similitudinem cum hoc , diligenter perpendendum , an symptomata hujus vel illius magis morbi signa sint. Est autem scorbutus Livi Venereæ in non paucis similis, quod pridem egregie observavit *Eugalenus* in libro suo de scorbuto , ubi langvoris, torporisque, nervorum contractionis, dolorum vagorum, fixorumque , noctu etiam sese exacerbantium, pustularum, tumorum durorum, exulcerationum, cum in ore, tum alibi (in ipso etiam pene p. 221. quod valde notabile) salivationumque meminit, difficultatemque illos morbos, ubi in uno loco simul grassantur, distinguendi peritè proponit, quantaque diligentia opus sit, & quam attente omnia ad judicium rectè faciendum considerare oporteat, ostendit. *Gualterus* quoque *Charleton* l. 1. de scorbuto c. 4. art. 16. magnaminiter scorbutum & Luem Veneream intercedere analogiam scribit, & communia quædam utrique morbo esse symptomata, ut non nunquam vel experientissimis Medicis difficile sit alterum ab altero distinguere. Quam difficultatem in Anglia, Batavia, Daniæ item & Sueciæ populosioribus urbibus, imo in his quoque nostris locis, sentiunt Medici.

XLVI. Probe igitur signa diagnostica utriusque luis, scorbuticæ & venereæ, uti passim ab *Eugaleno* peritissimo annotantur, tenenda sunt, quamvis fatear in crustulis, pustulis, serpiginibus & cancris vulgo appellatis aliquid occurrere, quod describi satis commode nequeat, à perito autem Medico & Chirurgo longo usu disci possit, in quo scilicet ab aliis talibus sceditatibus, & scorbuticis imprimis malis differant. Venereos tumores à scorbuticis hoc signo distingvi docet *Eugal.*

gal p. 93. quod in illis cauterio apertis, materia pinguis inveniatur, larido in fumato colore non diffimilis in his non item.

XLVII. Ut igitur rectè morbum hunc, cum non parva difficultas sit, ab aliis distinguere & cognoscere possimus, quibusdam, cum non habent, illum sibi imaginantibus, quale exemplum est in *Epist. Rolandi Sturmii ad C. Lanzwerde Append. ad Scultet. p. 224.* aliis, cum habent, agnoscere non volentibus, non tantum ea signa, quæ præsentia sunt, colligere debemus, sed & quæ antea adfuerunt, & jam vel sponte naturæ vel medicamentorum ope desierunt, alia enim in initio, alia in progressu morbi apparent, ut antea dictum.

XLVIII. Plurimum vero juvat, si æger ipse contagii recepti modum norit, & Medico exponat, aut suspiciones saltem suas detegat, quod tamen plerumq; non faciunt, & simulant se alio potius morbo teneri, unde non parva quidem difficultas, quam superari tamen posse egregie ostendit *Joh. Bapt. Sylvat. l. de iis qui morbum simulant, deprehendendis c. 20.* At Eugalenus, ubi fateri ægri id nolunt, ad luxuriosam tamen & liberam quorundam vitam, ubi de Lue Venerea, non secus ac ad miseram & calamitosam, ubi de scorbuto quæstio est, respici vult.

XLIX. In ipsa deinde curatione à juvantibus quoque decoctis scilicet lignorum & radicum, mercurialibus item medicamentis, desumi posse signum luis, vulgo scribunt, quod tamen simpliciter admittere nequeo, cum supponere videatur illa sententia, specifica esse hæc medicamenta huic luis, de quo dein judicabitur.

L. Id in universum moneo, ne quis temere ex signis aliquibus, de hujus morbi præsentia pronunciet, cum magnum inde malum sibi contrahere possit Medicus, nec statim suspitione aliqua oborta liberè determinet, suumque judicium ad alios effutiat. Interim Medicamenta suæ suspitioni aptare poterit, cum præsertim aliis se morbis misceat lues Venerea & tum ad illam quoque respicere Medicum oporteat.

LI. Non minus vero etiam in Prognostico dando, prudenter se gerere debet Medicus, contra quam Empirici faciunt, qui, ubi leve principium luis est, magnum periculum denunciant, & violentis curationibus & longis ægros subjiciunt, vel ubi periculum præsens, & infectio magna, facillimam curationem suis secretioribus remediis pollicentur. Nam & interdum facilis est curatu, interdum difficilis, aliquando planè incurabilis, ideoq; distinguere tempus luis, gradus ejus, & corpora affecta & omnia denique, quæ usus & experientia docent, diligenter annotare oportet.

LII. Nam & aliquando in principio lues hæc citra Medicamenta, sola forti corporis agitatione & exercitio, procurato largo sudore, curatur, aliquando levibus remediis facillime sanatur. In aliis tamen, ab eodem sæpe scorto infectis id non succedit, propter diersam corporis constitutionem, quam dijudicare periti Medici est. In universum dicere licet, sanguineos & benevalentes facilius curari cholericis pituitosis & aliàs non satis sanis. Mulieres etiam vulgo difficilius, quam viri, ab hoc morbo sanescere dicuntur.

LIII. Gonorrhæas in principio, malo nondum, sanguini communicato, facile curari, jam tum supra monui. Et in universum omnis incipiens lues faci-

cilius quam confirmata aut quæ diu hæsit in corpore, aut quæ hæreditaria est curari potest. Non tamen idcirco de illis, quæ jam aliquamdiu durarunt, desperandum, aut inveterata lue laborantes planè deferendi sunt, sed uno remedio mitiori non proficiente, ad fortiora progrediendum, imo à fortibus interdum ad leviora, factâ juxta constitutionem ægri mutatione. Quam in rem egregium exemplum apud *Fernelium* extat c. 15. in Domino de Mesieres. Et potest uno tempore interdum feliciter procedere curatio quam altero, juxta anni quoque tempestates, aut alias circumstantias juvante natura. *Cl. Dn. Præses* retulit mihi, se viro militari, lue venerea dudum infecto, & aliquatenus quidem curato, sed doloribus artuum gravissimè adhuc torto, qui nec inunctione per hydrargyrum nec sudore per lignorum decocta tolli potuerant, cum verno tempore tertiana febre simplici primum, dein duplici, laborare cœpisset, toto morbi decursu, in paroxismo & extra eum dedisse decocta ex china, & sarsaparilla & similibus, promotò quotidie sudore, & ita dolores hætenus rebelles, inque paroxysmis febrilibus longe atrociores, tandem in totum sustulisse.

LIV. Tophi & ulcera pro ratione partium in quibus sunt, facilius etiam & difficilius curantur, omnia autem, quæ cum ossis erosionem sunt, difficillime sanescunt, & ut plurimum non conservare ossa ipsa possumus, sed corrupta eximere, excindere & educere cogimur: quod in capitis ossibus, narium imprimis, frequenter observatur.

LV. Quamvis igitur per se lethalis hic morbus non sit, tamen gravissimè universum corpus afficiendo ad

do ad lentam tandem, miseramque mortem deducit. Varii enim morbi alii cum hoc sese implicant, cachexia oboritur, febres accedunt, heticæ quoque (quarum exempla adducit *Hercules Saxonia cap. 5.*) gravissima vero symptomata, exquisitiq; dolores vires infringunt.

LVI. Restat jam, ut Curationem quoque luis adducamus. Cum tamen tot libri de ea conscripti sint, cum ante hac, tum nuper quoque, non expectabit quis à me, ut integram eam in his thesibus proponam, & pro omnibus quoque symptomatibus medicamenta laudem, formulasque describam, cum talia, nullibi non obvia, petere aliunde liceat. Tantum modos curandi usitatos examinabo, & uti hætenus, libere de iis iudicium meum exponam.

LVII. Notum omnibus est, Luem hanc Indicæ originis, primo quidem à Medicis, quo se verterent, in morbo incognito nescientibus, varie tractatum esse, infeliciter ut plurimum, deinde remediis quoque ex India petitis, ligno Guajaco imprimis, quod nomen etiam apud Germanos inde accepit, curatam esse: Cui deinde accesserunt Radix sarsaparilla, China, item lignum sassafras. Successu vero temporis plurima alia medicamenta in Europa & apud Germanos quoque nascentia, non minorem in curatione luis vim habere deprehensa sunt, ut imprimis Juniperus.

LIX. Post aliquot tempus vel ab Empiricis, vel ab aliis, exemplo ab iis, quæ in scabie viderant, desumpto, mercurius externè adhiberi cœpit, qui humores corporis commovens & salivatione excitata ejiciens, curare luem observatus fuit. Ad eundem affectum adhibitus ille etiam in suffimigiis, imò interne quoque

varie præparatus à Chemicis ad salivationem & purgationem procurandam.

LIX. Non intermiserunt interim Medici præter hæc remedia, alia quoque ut præparantia purgantia, Venæ sectionem adhibere, in his tamen duobus modis potissimam curationis spem posuerunt, & sudationibus non succedentibus ad inunctiones & fumigationes Mercuriales devenerunt. Et quamvis non defuerint, qui vel sudationes illas, tanquam non sufficientes rejicerent, vel in curationes per mercurium, ceu incertas & periculosas, invectivas scriberent, ut ex *Fernelio* patet, tamen utraque ratio obtinet hætenus, obtinebitque, nec improbare ego vel hanc vel illam sustineo, modo posterior cautè & rectè instituat.

LX. Id tamen considerationem meretur, à plerisque tam sudorifera supra relata medicamenta Guajacum, sarsam, quam salivationis autorem Mercurium, tanquam specificam vim in lue hac debellenda habentia laudari. Ipse autem jam tum supra quoque fassus sum, *ύίασμα* illud venereum peculiaris omnino naturæ esse, optandum igitur utique foret, dari talia medicamenta, quæ specificè adversa superare id possent. An vero illa memorata talia sint, quæritur. Vulgo quidem id ita creditum fuit, ut proinde non tantum ad totam luem ex corpore expellendam Guajacum & similia, Mercuriumque adhiberent, sed omnibus quoque à lue natis affectibus & proinde ipsis ulceribus, pustulis, maculis Guajaci decoctum aut oleum, doloribus quoque mercurium, hoc nomine adhiberent. Recentissimi vero, jam ante memorati, in quo consisteret illa contrarietas, & specifica vis manifestò demonstraturi, acidos esse venereos humores, alcalinæ autem naturæ li,
gna

gna illa & radices, mercuriumque ipsum tradiderunt. Et hunc quidem Mercurium, tanquam alcali aliquod, associare sese acido venereo & fieri inde quasi Mercurium sublimatum, qui sub illa etiam specie, erosionem in ore faciens, cum humoribus ex illo effluat. Hæc enim est doctrina illa, in qua adeò sibi plaudunt.

LXI. At vero jam tum olim fuit dubitatum, an ligna illa exotica & radices curarent luem, tanquam eius alexipharmaca, an vero tanquam sudori tera & exsiccantia medicamenta. Et rectè quidem meo iudicio Nam & jam tum supra dixi, solo sudore per vehementes corporis motus excitato, incipientem luem curari observante id *Fallopio c. 24.* nec minus notum est, quomodo sudor utiliter in stuphis incenso vini spiritu provocetur. Deinde Guajacum, sarfa, sassafras, china inter se plurimum differunt, magis etiam ab illis differunt alia sudorifera, quæ tamen in L. V. parilem effectum præstare observantur, quæ omnia vim specificam habere nemo prudentior paulo crediderit. Sudore scilicet ejicitur *ύιαυα* illud venereum, & hunc procurare possunt illa modo laudata, diu præsertim ceu consueverunt adhibita.

LXII. De Mercurio non minus dubium est. Egregiè *Thomas Sydenham*, Vir præstantissimus, qui veterum recentiorumque doctrina subactus, utramque, raro hoc seculo exemplo, conjunxit, magnoque iudicio morborum phænomena & naturæ motus, observavit: egregiè, inquam *Epist. cit. p. 121.* notat, nullam vim specificam mercurio inesse, qua Venerea lues immediate debellari possit, mediatum tamen forte appellari posse specificum, in quantum mediante ptialismo expellat, pari fermè *καταξησησι*, ac si quis scalpellum chirurgicum in
E 3 pleu-

pleuritide specificum appellet. Non constat enim, quod sine salivatione aut purgatione unquã curaverit luem.

LVIII. Quis vero temere admiserit hypothesein illam, quã ita sibi placent? Quis licet ab acidis corrosivis spiritibus solvatur Mercurius idcirco illum alcalinæ naturæ esse dixerit? cum ex amalgamatione cum auro, aliisque quibusdam metallis ille pari ratione acidus dici possit. Quin constat, Mercurium non vivum (quem alcalinum volunt) tantum, sed acido solutum, cumque eo combinatum, sublimatum, præcipitatum non minus lvi venereæ, ejusque effectibus mederi. In quo dubio solvendo mirum quomodo se torqueat, nec extorqueat tamen *Cl. Sylvius.*

LXIV. Verum objici mihi video, si hæc medicamenta specifica non sint, posse quævis medicamenta sudorifera aut purgantia adhiberi, quod apud Practicos absurdum & re ipsa vanum sit. Cui tamen objectioni facile occurri potest. Quod enim sudorifera attinet, jam tum dictum est plura sudorifera ex plantis idem præstare posse, nec minus commoda judicari à plurimis antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, ab aliis salia volatilia, à Galenicis Theriacam ex plurimis compositam, sudoriferam tamen. Imo solus sudor sine medicamentis aliquid in curanda lue valet. Largarior tamen hæc sudorifera decocta ex lignis & radicibus præ multis aliis esse commoda, tam longo præsertim tempore, diaphoresi continuata, usurpata. Imo illa sudorifera liquida in magna dosi data minus exsiccant, ac alia sudorifera solent, quod imprimis cavendum. Fortassis etiam quædam ex illis, ut Radix chinæ, aliquid in humoribus à miasmate Venereo fermentatis, & jam acribus corrigendis habet præ aliis sudoriferis eximii.

LXV. Quod vero purgantia spectat, certum itidem est, incipientem lue[m] solis purgantibus aliquando curatam, gonorrhæam item virulentam non mercurio salivante, purgantibus vero curari docet *Sydenham*: Mercurius tamen, quoniam insigni partium tenuitate pollet, uti in aliis morbis viscido & pituitoso humori ortum debentibus plus præstat, quam alia purgantia ita in lue quoque venerea, præ aliis quibuscunque viscida resolvit, impacta abstergit & fluxum concitando educit. *Cl. Præses* mihi retulit, se duas foeminas lue Gallica & simul suppressione mensium laborantes fecisse inungi, utrique autem inter salivationes, menstrua quoque fluere cœpisse, sanguine vi mercurii attenuato. *Alexander* vero *Petron.* l. de morbo Gallico ex inunctione Mercurii luis curandæ causa instituta simul cataractam in oculo cuidam sublatam annotavit. Ex quibus exemplis vis magna Mercurii attenuandi & resolvendi patescit. Præterea vero cum Mercurio peculiare etiam sit, non vivo tantum, sed salibus quoque soluto exitare salivationem, & in Lue Venerea laborantibus tum humor frequenter versus fauces feratur, videtur fermentum venereum facilius & promptius illa via educi,

LXVI. Omnis igitur vera & solida luis curatio consistit in Miasmatis Venerei exclusione, quod inter initia facillime fieri potest, dein sudoriferis, & tandem per salivationem fieri debet aut certe per mercurium fortiter per alvum purgantem. Sudorifera igitur hætenus usitata admitto, non exclusi tamen ratione circumstantiarum aliis: imò mixta sudoriferis purgantia non improbo, laudata cum aliis tum *Antonio Everhardi* quoque lib. cit. Et tandem ad Mercurium quoque per veniri posse, censeo.

LXVII. Ut tamen omnibus quoque affectibus à miasmate venereo productis tam sollicitè adhibeantur præparata ex Guajaco & Mercurio, tanquam specifica, absolum est, ridetq; id de Mercurio ipse Blegny : quamvis contingere possit, ut decoctum Guajaci ulceribus externè admotum, ea exsiccet, oleum guajaci vi sua incidendi tumores duros resolvat, & Mercurius in fixis doloribus fortiter adhærentia partibus miasmata moveat : nulla id circo specifica vi confingenda. Sunt autem illa producta, suo quæque modo, tractanda, non neglecta cura universalis ad luem directa.

LXIX, Quæ porro notarunt, quasque cautelas de his Medicamentis usurpandis dederunt Practici, illas omnino observare velim, præsertim in salivatione instituenda. Corporum vero imprimis habenda ratio, debilium, puerilium & muliebrum quoque si prægnatia sint, quæ quidem ultima curationi per mercurium plane non subjicienda esse, asserere non ausim, propter exempla producta à *Fabricio Hildano cent. obs. 97. Cosm. Viardel. l. 2. obs. 21. p. 156. Mauriceau Malad. de femmes gross. l. 1. c. 26. p. 176.* qui tamen cautiones quoque addunt.

LXIX. Coronidis loco de diætâ aliquid addendum est. Ratione aeris observatum est, in frigidiori pejus habere, lue venerea obsessos & propter frigidius cœlum in locis septentrionalibus, difficilius illam curari, in aere calidiorè facilius. Faciunt huc, quæ de Ægypto habet doctissimus *Veslingius, not. ad Prosp. Alpinum c. 9. Non adeo, inquit, gravia sunt, quæ hic infecti patiuntur. Excludit mali impetum purior corporum constitutio, tum illa sudorum & per continuum aeris æstus & balneorum frequentium usum consuetâ profusio. Vidi sæpe pessime affectos, & in ossa ipsa fœdè sæviente morbo, cum extrema omnia frustra alibi tentata essent, in hac regio ne citra magnam præsidiorum vim noxiam luem evasisse.* Quando igitur in nostris locis curatio sive per sudorem, sive per hydrargyrosin instituitur, imprimis frigidus aer sollicitè cavendus est.

LXX. In cibo & potu bene sibi consulent ægri, si ab acrioribus (allium & cæpas imprimis vetat Falloplus) à salitis, ab acidis abstineant, & victu tenui contenti sint imprimis, dum fortes illas curationes sustinent, quamvis prudentem Medicum aliquid indulgere posse ægris suadeant ea, quæ di sputat *Rossius Epsist. 43. & 44.* In cura per Mercurium, fructus horarios, ne dysenteria oboriat, imprimis vetat *Guido l. cit. p. 26* adducto notabili exemplo. Vinum tanquam pestem vitari vult *Fernelius.* Veneris usum vetant omnes. Et hæc quidem pro ratione instituti nostri sufficiant,